

ANTONIUS BARANIAK
ARCHIEPISCOPUS METROPOLITA POSNANIENSIS — POLONIA

Consultore P. IULIANO PISKOREK S I

CALENDARIUM SIMPLEX
ET PERPETUUM

SECUNDUM DECLARATA CONCILII VATICANI II

Memoriale scriptum

Commissionum Sedis Apostolicae discussioni
propositum

ROMA - 1965

ANTONIUS BARANIAK
ARCHIEPISCOPUS METROPOLITA POSNANIENSIS — POLONIA

Consultore P. IULIANO PISKOREK S I

CALENDARIUM SIMPLEX
ET PERPETUUM

SECUNDUM DECLARATA CONCILII VATICANI II

Memoriale scriptum

Commissionum Sedis Apostolicae discussioni
propositum

ROMA - 1965

CUM APPROBATIONE AUCTORITATIS ECCLESIASTICAE

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

INDEX ARGUMENTORUM

| | |
|--|----|
| I. <i>Problema Calendarii</i> | 5 |
| II. <i>Explicationes praeviae</i> | 8 |
| 1. Obiectum Calendarii | 8 |
| 2. Ius ad Calendarium stabiliendum | 11 |
| 3. Reformationis Calendarii necessitas | 11 |
| 4. Scopus reformationis Calendarii | 12 |
| 5. Conclusiones | 13 |
| 6. Qui errores vitandi in construendo novo Calendario | 13 |
| 7. Proposita nostra | 14 |
| III. <i>Principia, argumenta et canones novi, simplicis, perpetui et universalis Calendarii</i> | 16 |
| A. Principia | 16 |
| 1. Principium primum: simplicitas | 16 |
| 2. Principium alterum: conformitas Calendarii cum cyclo solari | 16 |
| 3. Principium tertium: Calendarium, ut sit simplex, postulat divisionem anni nominalis in 364 dies atque in 13 menses | 17 |
| 4. Principium quartum: Modus exaequationis anni nominalis et Calendarii cum anno solari | 18 |
| Declarationes quaedam accessoriae | 19 |
| Argumenta historica pro die bis (ter) repetito | 20 |
| Particulares quaestiones coniunctae cum principio exaequa- tionis | 20 |
| B. Canones seu regulae compositionis novi et simplicis Calendari | 21 |
| 1. Canon primus: 7 ^{mus} dies hebdomadae sacer | 22 |
| 2. Canon secundus: cardo compositionis | 22 |
| IV. <i>Quaestio Paschatis</i> | 24 |
| V. <i>Modus rem ad effectum perducendi</i> | 28 |
| Index obiectorum analyticus | 31 |

I.

PROBLEMA CALENDARIII

Problema Calendarii simplicis et perpetui: pro bono publico universi orbis, pro diversis necessitatibus vitae hodiernae nationum et postulatis saeculi venientis, pro multis quaestionibus vitae civilis et ecclesiasticae bene in tempore componendis, pro cultu Dei simul exhibendo, pro unione christiana, pro ipsa Liturgia Ecclesiae Catholicae, maxime vero pro Paschate unanimiter ab universa Christianitate celebrando — valorem suum habere nemo est, qui neget.

Facta consideranda

1° *Chaos Calendariorum.* Una Familia Humana regitur diversis Calendariis: Gregoriano, Iuliano, Mahumetano, Iudaico etc. In eodem Statu et Natione exstant nonnumquam plura calendaria, quae in vitam tum religiosam tum socialem magnam perturbationem inducunt. Exemplum: India — utitur 30 (triginta!) diversis calendariis. Non mirum, quod die 28 Octobris 1953 anni Gubernium hoc reposuit in Secretariatu Generali Organisationis Nationum Unitarum (O.N.U.) officiales litteras, et postulavit reformationem et unificationem Calendarii pro omnibus populis.

2° *Difficultates Calendarii Gregoriani.* In Calendario Gregoriano de facto eius mutabilitas, quamquam ordinata, multas difficultates et nonnumquam confusionem parit.

a) *In vita civili:* mutabilitas annorum, numeri dierum mensis et dies hebdomadarum continuo diversi, menses inaequales, dimidia et quartae partes anni inaequales — concitant maiores minoresve difficultates compositionis et distributionis nostri temporis: in scholis, fabricis, mercatura, statistica etc. Inde motus mundialis ad reformandum Calendarium et multiplices conatus solvendi hanc quaestionem in foro O.N.U. provenerunt.

b) *In vita christiana et religiosa.* Satis est indicare: discrepantiam Calendarii Iuliani et Gregoriani; fere insolubilem quaestionem Paschatis in tota Christianitate simul celebrandi; nondum solutas propter mutabile Calendarium quaestiones liturgicas: anni liturgici, Missalis et Breviarii.

3° *Discussio de Calendario reformando in foro O.N.U.* — Ob magnam oppositionem ex parte diversarum Religionum problema Calendarii reformandi sepositum est ad indefinitum tempus (« sine die »). Oppositio haec, de cetero iusta, defendens continuitatem hebdomadae septem dierum, impedit tamen, quominus assequi possit maximum bonum unionis generis humani per Calendarium universale promovendum. Nihilominus ad hunc finem solutio huius quaestionis tum in foro civili tum ecclesiastico per necessaria est et instat, donec funditus solvetur. *Res nunc in eo esse videtur, ut O.N.U. expectet novam ex parte Religionum quaestionis propositionem.*

4° *Unio totius orbis.* Totus mundus in globo terrestri iam bene notus, per evoluta media communicationis: aëronavigationem, radiophonium, televisionem, telephonium, editiones typographicas etc. magnis gressibus summum petit contenditque omnimodam unionem. Per hodiernas condiciones vita humana evolvitur et complicatur. Nascitur « Novum » — Universalismi nomine vocandum: unum harmonicum ex pluribus per simplicitatem compositionis. Calendarium simplex et perpetuum speratur huius unionis validum instrumentum esse futurum.

5° *Unio in cultu Dei.* Nova quaestio oritur. Hodie ut magnum postulatum habetur quaedam unio in cultu Divino omnium credentium, sive Christianorum, sive non, saltem in eisdem diebus Deo sanctis simul celebrandis per totum orbem. Etiam haec gravis quaestio solvi potest per Calendarium stabile, simplex et universale.

6° *Declaratio Concilii Vaticani II de Calendario recognoscendo,* approbata unanimo fere Patrum suffragio (2058 contra 9!), facta est Magna Charta Ecclesiae Catholicae in re calendaria. Die 4.XII.1963 anni proclamata, gaudium altum et simul expectationem in toto mundo excitavit.

Magnum problema unionis generis humani per unam calendariam dispositionem temporis pro omnibus hominibus maturuit ad dirimendum.

Rebus sic stantibus, rationabiliter dici nequit, uti a nonnullis auditur, quaestionem Calendarii esse minimam, inanem, inutilem, iam sufficienter solutam, vel solvendam utcumque, solvendam tantum in campo civili.

Totalis solutio quaestionis calendariae est postulatum reale, vere urgens, et quidem postulatum a nobis quamprimum exsequendum.

III.

PRINCIPIA, ARGUMENTA ET CANONES NOVI, SIMPLICIS, PERPETUI ET UNIVERSALIS CALENDARIII

A.

Principia

1. Principium primum: simplicitas

Calendarium totius Humanitatis, de quo res agitur, ut primam suam notam simplicitatem habeat oportet. Exinde enim proveniet claritas et universalitas Calendarii eiusque oportunitas et sub quovis respectu perfectio. Perfectum est enim, quod est simplex.

Iamvero schema a nobis propositum est maxime simplex tam quoad divisionem anni solaris, quam quoad exaequationem anni nominalis cum solari. Insuper adaptatur omnium etiam rudium intelligentiae. Divisio temporis est facilis ac clara. Optime denique convenit necessitatibus vitae civilis et religiosae. Ceterum, omnes conveniunt (etiam ii quibus placet traditionalis divisio anni in 12 menses) Calendarium nostrum (13 mensium) esse simplicissimum.

2. Principium alterum: conformitas Calendarii cum cyclo solari

1° *Omnino necessarium est, ut Calendarium universale, sumat pro fundamento non cyclum lunarem, sed solarem.* Longa ceterum traditio sinensis ac aegyptiaca, necnon Calendarium Iulianum ac Gregorianum idem comprobant.

Calendarium, porro, *eo perfectius erit, quo strictius cohaerebit cum anno solari*, atque cum orbita Terrae. Atqui eiusmodi est Calendarium nostrum, quatenus retinet Gregorianum temporis computum. Unicuique enim diei per stabilitum in Calendario aequinoctium stabilis semper in orbita Terrae locus assignatur.

Propter praedictas rationes patet, schema « hebdomadae intercalaris » nullatenus admitti posse.

2° *Clarum est etiam, Calendarium nostrum omnino esse consentaneum cum exigentiis scientiae astronomicae.* Cohaerentia tanta est, ut perihelium et aphelium, quae dividunt orbitam Terrae in duas partes aequales, cadunt nunc et cadent per saeculum proxime sequens respective in diem anni ultimum (28 Decembris) et medium (14 Pacifici). Annum nominalem incipiemus simul cum Terra incipiente novam suam revolutionem circumcirca solem. Puncta haec tamen non sunt stabilia, nam relatio inter ipsum aequinoctium vernale, quod fixum in Calendario esse debet, et perihelium non est in natura stabilis.

3. Principium tertium: Calendarium, ut sit simplex, postulat divisionem anni nominalis in 364 dies atque in 13 menses

Admissa hac divisione:

a) *Obtinetur vere perfecta divisio annui temporis. Etenim:*

1° Tantum numerus divisibilis 364 d. proxime accedit ad numerum dierum anni solaris (365, 2422...). Quoad particulas temporis quae supersunt providebit sequens principium.

2° Tantum numerus 364 dierum dividitur perfecte in 52 integras hebdomadas.

3° Tantum 364 dividitur in 13 omnino aequales menses, quorum quisque 28 dies numerando, maxime adpropinquat duplici longitudini mensis lunaris (periodici et synodici) et continet in se 4 integras 7 dierum hebdomadas.

4° Tantum 364 dies dividuntur in 4 aequalia anni tempora cum 91 diebus et 13 integris hebdomadis.

b) *Obtinetur de facto maxima simplicitas Calendarii.*

1° Divisione ipsa simplici, aequali et totali.

2° Eo, quod determinati dies hebdomadae semper cadent in determinatos dies mensis. Dominica veniet semper die 7, 14, 21, 28 cuiusque mensis. Similiter etiam ceteri dies stabiliter coniungentur cum determinatis diebus mensium.

c) *Conficitur denique Calendarium quod optime explet vota omnis tendentiae reformativae.*

Obtinetur etenim:

1° Totalis exaequatio et stabilisatio Calendarii ut mensurae temporis. Calendarium nominale fit, ut metrum, talis compositio, in qua omnes eius partes: annus, dimidium anni, quartae partes, menses, hebdomadae, dies, nominaliter aequales et stabilitae, perfectam mensuram temporis pro Humanitate constituunt.

2° Maxima commoditas et oportunitas Calendarii qua instrumenti dispositionis nostri temporis pro vita et labore humano.

4. Principium quartum: Modus exaequationis anni nominalis et Calendarii cum anno solari

Admissa divisione anni nominalis 364 dierum, admittendus est semel in anno unus electus nominalis dies, qui bis (vel — in anno bissextili — ter) repetitos dies solares (spatia 24 horarum) contineat.

Licet haec innovatio sat miranda appareat, videtur tamen nobis necessario admittenda, nam:

1° Sollummodo hac ratione convenienter et stricte, non violato computu Calendarii Gregoriani, obtinetur concordantia anni nominalis et Calendarii cum anno solari.

2° Feliciter solvitur problema « dierum residuorum ». Dies enim residui coniuncti cum aliquo die nominali electae hebdomadae mensis anni nominalis ponuntur non « extra » diem, hebdomadam, mensem, uti voluit « Calendarium Mundiale » cum « albis diebus » et « sine numero », sed « intra ».

3° Eo ipso hi dies residui stricte determinantur tam quoad nomen quam quoad numerum locumque in Calendario, insuper et quoad spatium temporis. Sortiuntur enim nomen, numerum, locum diei nominalis, cum quo connexi sunt. Distincta vero huius « diei » spatia 24 horarum signantur verbo « bis » et in anno bissextili « ter ».

4° Modus hic plane satisfacit voto Ecclesiae Catholicae ac exigentiis aliarum Religionum de continuitate hebdomadarum.

Declarationes quaedam accessoriae

A) *Considerentur hic duae conceptiones solvendi problema dierum residuorum et stabiliendi Calendarium (cum diebus « extra » et cum diebus « intra »).*

Differentia inter has conceptiones videtur primo intuitu parva et pure formalis. De facto tamen res omnino aliter se habet. Nam:

a) *Calendarium quod ponit dies extrahebdomadarios — « dies nullos »:*

1° scindit ininterruptam continuitatem temporis. Tempus enim quod in motu Terrae est continuum, etiam in Calendario nominali continuum esse debet.

2° « Dies » s.d. « nulli » sunt reapse contradictio. Neque fictam contradictionem licet in Calendarium introducere.

3° Calendarium inducens dies « nullos » corrumpitur in sua essentia et finalitate qua regula et mensura temporis (cogita metrum inadaequatum).

b) *E contra Calendarium nostrum:*

1° Servat continuitatem temporis.

2° Nullum habet tempus, quod non esset nominatum et numeratum.

3° Unica exceptio in anno diei nominalis reduplicati in harmonica compositione Calendarii non destruet eius maxime normalem et regularem cyclum. Dies reduplicati in rhythmo temporis erunt in Calendario, velut in musica prolongata nota s.d. « fermata ». Ipsorum erit non turbare melodiam temporis, sed potius eam resonare et adimplere.

B) *Problema diei septimi.*

Divisio anni in hebdomadas integras et continuas et exaequatio anni nominalis cum solari per unicum in anno diem reduplicatum sufficienter solvit problema diei septimi, a labore liberi ac in Religionibus sancti. Dies enim reduplicatus *nominaliter* non differt a quocumque alio die, nec ullo modo prohibet sanctificationem diei septimi, a fortiori si lege calendaria statuatur tamquam « unus dies ».

Admisso novo Calendario, idem ipse dies vocabitur a nobis Christianis « Dominica Longa », a Iudaeis « Sabbatum Longum », a Mahumetanis — « Dies Longa Veneris ». Nihil ceterum prohibet, quominus dies sancta hebdomadae in diversis Religionibus suum proprium nomen habeat.

Ex supra dictis patet, momentum huius principii aequationis pro toto Calendario esse permagnum.

Videamus tamen adhuc:

Argumenta historica pro die bis (ter) repetito

Proposita solutio quaestionis calendariae apparet necessaria et prorsus non nova. Nam:

1° *Ex historia Calendarii Romani* notus est dies s.d. « bis sextus Kalendas Martii ». Qui dies « binarius » ideo est introductus, ne anno intercalari mensis Februarius haberet dies 29 et romanus dies festus Terminalium e septimo Kalendas Martii transferatur in octavum Kal. Martii. Hic etiam numerus 29 fatalis esse credebatur a superstitiosis Romanis. Maluerant igitur diem 24 Februarii bis potius repetere, quam mense Februario numerum 29 obtinere. Unde et nomen habemus anni intercalaris seu bissextilis.

Mutavit rem Constantinus Magnus anno 321. Statuit nimirum, ut dies Dominica sit a labore libera, sustulit dies bis repetitos. Eo ipso invexit Calendarium mutabile. Ita incepta est aetas Constantina.

2° *Ex historia Calendarii Hebraici*. S. Scriptura praecepit, ut post Pascha 14 Nisan, celebraretur festum Azymorum, (Lev. 23, 15-16), quod ex more Sabbatum Magnum erat. Deinde « ab altera die Sabbati » numerandae erant 7 hebdomadae plenae « ad alterum diem Sabbati, seu 50 dies, et celebrandum festum Pentecostes. Haec utraque « altera dies Sabbati » celebrabatur viva traditione, (quam n.b. postea Talmud oppugnabat) praesertim ante captivitatem babylonicam tamquam dies Sabbati bis repetiti, quod in effectu aliquod stabile Calendarium Iudaeis praebebat.

Particulares quaestiones coniunctae cum principio exaequationis

A) *Novi mensis nomen: Pacificus.*

Ad celebrandam ideam pacis, quae nostrae aetati valde cara est, apprime opportunum esse censemus, ut novus mensis intro-

ducendus nomine « mensis Pacificus » exornetur, atque in Ecclesia Catholica Iesu Christo, Regi Pacifico, consecretur.

Ad obtinendam harmonicam compositionem anni nominalis proponimus hunc mensem collocare in medio anni inter Iunium et Iulium.

B) *Dies quartusdecimus mensis Pacifici — dies « binarius ».*

Ad quaestionem, quinam dies eligendus sit uti « dies binarius » (ternarius), respondemus, eligendum esse diem 14 mensis Pacifici. Etenim:

1° Hac die clauditur semestre primum et aperitur secundum.

2° Terra eodem die attingit suum aphelium.

3° Per nominalem tunc prolongationem eiusdem diei cum novo mense heic collocato, magis naturaliter obtinetur exaequatio Calendarii cum sole. Nam Terra in aphelio lentius currit. Pars aestiva anni (a 21.III ad 23.IX) in nostra septentrionali hemisphaera astronomice longior est, quam hiemalis (a. 23.IX ad 21.III). Igitur eo tempore suadetur quaedam prolongatio, non vero in fine anni tempore hiemali.

Concludimus quartum Principium

Ad exaequandum annum nominalem cum solari in novo et stabili Calendario constituendus est duplex (in anno bissextili triplex) dies 14 mensis Pacifici. Diversa eius spatia solarum designanda sunt verbo « bis » (« ter »). Dies hic in memoriam Pacis sit festivus per totum orbem.

B.

Canones seu regulae compositionis novi et simplicis Calendarii

Cum quaestione compositionis Calendarii iunguntur haud parva problemata. Quaeritur imprimis:

1° A quam die incipienda esset hebdomada (et mensis): a die Dominica, an forte a feria secunda?

2° Quaenam dies principalis in Calendario eligenda esset pro fundamento totius constructionis et initiationis novi Calendarii?

Canon primus: 7^{mus} dies hebdomadae sacer

Dies in hebdomada sacer habendus est dies hebdomadae septimus. Menses et hebdomadae incipiendae sunt feria secunda.

Elegimus compositionem Calendarii in qua « Dominica » non dies prima hebdomadae, sed septima est. Etenim:

1° Obtinetur hac ratione (et sub hoc respectu) tantopere desiderata unio inter Christianos et non Christianos. Licet primitus graves militarint rationes pro die Christianis sacro a Sabato Iudaeorum separando, haec quaestio facta est magis theoretica ac formalis, quam practica et doctrinalis. Catholici liberi sunt in considerando Dominicam esse diem hebdomadae septimam sive primam. Non item aliae Religiones, quae littera legis vincuntur. Unde si nos in hac re ipsis conformemur, illarum procul dubio gratitudinem experiemur. Non desunt hodie rationes, quae postulant, ut omnes in Deum credentes uniantur in Deo, statuto die honorando.

2° Schema Calendarii, in quo tam menses, quam hebdomadae feria secunda (primus dies laboris) incipientur, maiore favore gaudere videtur apud societates civiles.

Canon secundus: cardo compositionis

Compositio Calendarii nititur et incipit die 21 Martii.

Assumimus diem 21.III. ut fundamentum totius structurae nostri Calendarii ob graves rationes. En considerationes, quae momentum huius rei clarius illustrant:

1° *Dies 21.III. est dies aequinoctii vernalis.* Aequinoctium vero est stabile momentum Terrae in sua orbita. Si coniungitur dies 21.III. cum hoc stabili momento, ceteri quoque dies stabiliter coniungentur cum determinatis locis Terrae in orbita seu in naturali solari anno Terrae. Hac igitur ratione totum Calendarium per-

fectam (quia naturalem) obtinet concordantiam cum anno Terrae solari et pleno sensu Calendarium solare dici potest.

2° *Dies 21 Martii (identicus cum aequinoctio vernali) est factum historicum et terminus fundamentalis pro historia humana.* A Concilio Nicaeno (an. 325) omnia facta historica inscribebantur iuxta Calendarium, quod diem 21 Martii posuit identicum cum aequinoctio vernali. Cum tamen, labentibus saeculis, appaerit, Calendarium Iulianum ab hac regula discrepare, audita sunt in Conciliis Constantiensi, Basileensi ac Tridentino vivae reclamaciones. Ut denuo dies 21 Martii fieret dies aequinoctii vernalis, reformatio Gregoriana, computum Iulianum corrigendo, sustulit ex anno 1582 dies decem. Oriens christianus, uti notum est, renuit consentire reformationi. Consequenter, discrepantia inter 21 Martii et aequinoctium in Calendario Iuliano continuo crescente, dies aequinoctii vernalis praecedit nunc de facto diem 21 Martii Calendarii Orientalium 13 diebus.

In Calendario a nobis proposito nullum eiusmodi incommodum est timendum. E contra, omne factum historicum est stabiliter determinatum ac naturalem locum obtinet in tempore Terrae. Neminem fugere potest huius rei momentum practicum!

3° *Per novum Calendarium, solidatum 21.III., assequimur calendariam continuitatem, concordem cum naturali tempore Terrae, in infinitum retro et prorsus protractam.* Nunc demum facta historica diversarum culturarum et civitatum, notata secundum diversa calendaria, in perpetuum stabilientur. Pro universali cultura humana momentum hoc permagnum.

4° *In hoc fundamento diei 21.III. solvitur quaestio Calendarii Iuliani et Gregoriani.* Etenim, silentio praetermissis 10 diebus a Gregorio XIII sublatis, neglectis pariter in Calendario Iuliano 13 diebus quae ei per computum non exactum supervenerant, utrumque Calendarium die 21.III. a Nicaeno solidatum in novo, perfecte exaequato et stabilito Calendario conveniet iamque in proprio tempore anni solaris unumquodque factum historicum, inscriptum in diversis Calendariis, indicabit.

Decreta Concilii Nicaeni magno in honore sunt apud christianum Orientem. Non dubitabunt nobiscum admittere novum Calendarium tamquam unicam, honorabilem solutionem difficultatum et complicationum, quae tum ex humanae scientiae imperfectionibus, tum ex facta in Occidente et non admissa in Oriente reformatione Gregoriana excreverant.

IV.

QUAESTIO PASCHATIS

Concilium Oecumenicum Vat. II die 4.XII. 1963 decrevit Pascham non necessario festum mutabile esse debere. Immo concessit, ut festum Paschatis « certae dominicae in Calendario Gregoriano assignetur ».

Eo ipso controversia de Pascha a primis saeculis christianitatis agitata, dirimitur. Concessa enim hac libertate, nova ultimaque reformatio Calendarii quaestionem hanc prorsus e medio tollet.

1. *Controversia primis saeculis respiciebat characterem Paschae christianae Novi Testamenti* in oppositione ad Pascham Veteris Testamenti (v. Mansi 1, 701 et sequ.) Ideo tam fortis in hac re sententia S. Victoris I Papae: « ... non decima quarta luna cum Iudaeis? sed decima quinta usque ad vicesimam primam pascha catholica ecclesia celebravit. Non enim iam umbram sed veritatem, quae umbra legis celebratur, quaerit. Hanc doctrinam Petrus et Paulus instituerunt, ut in azymis sinceritatis et veritatis Pascha ageretur. Qui enim cum Iudaeis Pascha agere volunt, quid, nisi umbram diligunt?... » (Mansi 1, 704 Ep. ad Desiderium).

Contentio accerimam formam assumpsit, cum episcopi Orientis, qui remanserunt sub influxu traditionis iudaicae et christianorum iudaisantium, duce Polycarpo, episcopo Ephesino, auserunt opponere S. Victori traditiones iudaicas « quartodecimanorum » tamquam traditiones apostolicas.

2. *Cum quaestione Paschae stricte iungitur quaestio calendarii*. In Occidente, ubi communiter calendarium solare vigeat, iam circa annum 200 apparent conatus separandi festum Paschae a mutabili calendario lunari et consequenter in perpetuum illud stabiliendi. « Omnes Galli unum diem anniversarium VIII Kal. April. Pascha celebrabant dicentes: *Quid nobis est ad lunae computum cum Iudaeis facere Pascha*, sed sicut Domini natalem quo-

cumque die venerit VIII Kalend. Ianuarii, ita et VIII Kalend. Aprilis, quando resurrectio traditur Christi debemus Pascha tenere » (Mansi 1, 715 et sequ. - Synod. Palaestin.).

Confusio in hac re usque ad tempus Concilii Nicaeni perrexit. Nicaenum peremptorie constituit Pascham christianam in Dominicam post vernale aequinoctium. *Cessit tamen consuetudini calendarii lunaris, quod in Oriente vigeat et constituit festum Paschale in prima vernali Dominica post plenam lunam. In hunc modum facta est infortunata compilatio Calendarii solaris Romani cum Calendario lunari Iudaico et solidavit lunarem mobilitatem Paschae festorumque mobilium usque ad nostra tempora.*

Calendarium Christianitatis factum est calendarium lunaro-solare cum multis connexum complicationibus.

Concilium Nicaenum solverat controversiam paschalem per compromissum, qui induxit necessitatem observationis non necessariae traditionis Calendarii Iudaici.

3. *Quaestio calendaria una cum quaestione paschali denuo facta est dolorosum vulnus Christianitatis et causa dissolutae unitatis Christianorum in celebrando Paschate.*

Quomodo?

a) *Ex defectibus Calendarii Iuliani.* Non exacta congruentia Calendarii Iuliani cum anno solari transmovit momentum aequinoctii vernalis 13 dies prae 21 Martii. Oriens, qui ulterius tenet Calendarium Iulianum, celebrat Pascham admodum sero.

b) *Ex reformatione Gregoriana.* Occidens ad tenendam dispositionem Concilii Nicaeni sustulit 10 dies ex anno 1582 et cum voluisset solvere quaestionem calendariam et minuere discrepantiam inter Orientem et Occidentem, magis eam auxit.

c) *Ex infelici haereditate coniunctionis Calendarii Iudaici lunaris cum Romano solari.* Non exactae et non concordantes cum datis astronomicis apparuerunt qua instrumentum designandi Pascham « tabellae aequationis » solis et lunae. Evidentissimum huius argumentum est v.g. Pascha in Cal. Iuliano anni 1965 una hebdomada serius tantummodo ex eo, quod eadem plena luna vernalis secundum tabellas aequationis 4 (quattuor) dies serius ponitur in Oriente quam in Occidente.

d) *Ex difficultatibus mutabilitatis Calendariorum, et non perfectae exaequationis eorum.* Protracta per saecula haereditas Calendarii lunaro-solaris obtundit multis complicationibus servitium divinum et meliorem compositionem activitatis humanae.

Modus reparationis

Concilium Vaticanum II correxit dispositionem minus felicem Concilii Nicaeni. Constituit stabile festum Paschae in Calendario stabili. Eo ipso solvit nexum festi Paschalis cum mutabili luna et traditione iudaica. En verus sensus Declarationis ex die 4.XII.1963 de Calendario recognoscendo.

Reparatio completa perficietur:

1° Per totalem reformationem Calendarii.

2° Per ultimam dispositionem Sedis Apostolicae in quaestione Paschae, quae solidabitur qua Pascha christiana et anniversarium mortis et resurrectionis Domini congruenter ad apostolicam traditionem, independenter tamen a calendario lunari, *in maxime*, etiam pro Oriente et regionibus septentrionalibus, *convenienti die anni solaris*.

Ad hoc dirigitur simplex propositio nostra:

Quia certum annum mortis D.N. Iesu Christi ignoramus et momentum hoc non est historice et critice extra omne dubium stabilitum, dubitatur etiam, num ad plenam hac in re claritatem perveniamus, — nescimus, quo momento anni solaris mutabilem diem plenae lunae 14 Nisan et consequenter mortis et resurrectionis Christi collocare debemus.

Inde in stabilienda Pascha traditione apostolica et Concilii Nicaeni dirigimur, sed tamen independenter a luna, quae erat norma calendaria pro Veteri Testamento et per suam mutabilitatem non potest esse mensura temporis "Novi et Aeterni Testamenti" — sicut a Patribus Ecclesiae enucleatum est:

« Pascha transitus, non reditus interpretatur... ». « Christus enim, fratres, non recidit hodie, sed resurrexit: non rediit sed transiit; transmigravit non remeavit » (S. Bernardus. Cf. Migne, P.L., 183 p. 281).

Consequenter ad hoc stabilimus Pascham die 21 Aprilis novi Calendarii. Hac ratione Magna illa Dies Resurrectionis D.N.I.Ch. celebrabitur semper:

1. Post aequinoctium vernale — in aevum die 21.III. stabilitum.
2. Secundum hucusque vigentem traditionem post plenam lunam vernalem, sed parum iam refert quando illa habebitur.
3. Per respectum ad regiones nordicas et tardiores praxim Ecclesiarum Orientis — in plena renascentia naturae, etiam in borealibus.

V.

MODUS REM AD EFFECTUM PERDUCENDI

Calendarium simplicissimum stabile et universale, quod Genus Humanum in una coaequata dispositione temporis coadunet, quodque omnes credentes in cultu Veri Dei exhibendo iisdem diebus sacris congreget, diversorum calendariorum unionem, imprimis Calendarii Iuliani et Gregoriani, perficiat — enixe quaesivimus et invenimus.

Disceptatione super Calendarium finita, consilio inter Religionem inchoato, in forum O.N.U. optima quae videbitur propositione nomine Religionum oblata, reformatione Calendarii, post factam novam eius perscrutationem, in O.N.U. constituta, editis particularibus dispositionibus — *die 21.III.1969 ad executionem veniemus.*

1. *Gressus primus.* Anno 1969 die 21.III. *Civitas Indiarum*, quae prima propositionem officialem de reformando Calendario obtulit, quaeque ex diversis calendariis maximas difficultates patitur — et *Civitates Mahumetanae* reformationem Calendarii in suo territorio perficient. Cur ita? Quia, secundum supra enucleata, reformatio introducta esse debet die 21.III., qui simul sit festivus. Die 21.III. anni 1969 apud Mahumetanos feria sexta est, dies pro ipsis sancta; per reformationem Calendarii hoc anno et die in aevum solidabitur.

Ad vitandam confusionem, et ad communicationem cum reliquo mundo faciliorem reddendam in editis calendariis huius anni iuxtaponendi erunt dies Calendarii Gregoriani, et viceversa, in Calendario Gregoriano — dies novi Calendarii per partem humanitatis admissi.

Eodem anno, die 14 novi mensis Pacifici, per eundem diem bis repetitum, Mahumetanorum hebdomada ininterrupta et prolongatus dies festivus solidabitur. Hac die Festum suum speciale, secundum suam fidem constitutum, et simul Festum Mundiale Pacifici primi observabunt.

Ad ipsos omnes nos in reformatione Calendarii conformabimur.

2. *Anno sequenti 1970 die 21.III. Civitas Israel et omnes Christiani qui Sabbatum tamquam diem Deo sanctum observant, reformationem Calendarii admittent.*

Hoc enim anno, die 21.III., Sabbatum est. Inauguratio reformationis hac die firmat eorum Sabbatum ut diem sanctum. Etiam dies 14 Pacifici bis repetiti consequenter Sabbatum erunt, salva continuitate hebdomadarum in sempiternum.

3. *Anno 1971 denique, ultimus passus reformationis.* Hoc anno die 21.III. habebitur nostra Dominica, quam cum solidata iam mahumetica feria VI et iudaico Sabbato coniungemus, firmabimusque unam eandemque diem septimam Deo sacram per totum orbem semel pro semper. Quantum gaudium tunc erit omni credenti!

4. *Sed quid cum disparatis Calendariis Christianitatis Iuliano et Gregoriano? Quomodo invicem convenient?*

Ecclesiae Orthodoxae admittent novum Calendarium, attamen non nostra (Cal. Gregoriani) die 21.III., sed sua, i.e. 13 dies post nostram (nos habebimus tunc 6.IV.).

Nihil mutabunt in Liturgia sua huius anni. Tantummodo post diem sui Calendarii 28.III. statim numerabunt diem 1.IV. (n.b. secundum exigentiam novi Calendarii; nos numerabimus tunc 14.IV.). Ita pergunt *usque ad suum in veteri calendario 5.IV. hoc anno designatum per tabellas Calendarii Iuliani in eorum Pascham.* Secundum novum Calendarium non recte haec dies erit apud ipsos 8.IV; de facto in novo Calendario admissio per totum orbem iam diem 21.IV. habebimus.

Diem 21 Aprilis proposuimus pro Festo Paschatis omnibus Christianis in aevum. In hac die de facto inventum est anno 1971 Festum Paschae Ecclesiarum Orthodoxarum. Sed in eorum Calendario Iuliano, secundum novum Calendarium sumpto, modo habetur 8.IV.

Hunc evidentem errorem discrepantiae sui Calendarii cum novo Calendario, vero aequinoctio et Constitutione Nicaeni statim hac ipsa die Resurrectionis D.N.I.Ch. corrigent et commutabunt diem 8.IV. in 21.IV.

Sed nos Calendario Gregoriano directi hoc anno 1971 alio tempore habemus designatam Pascham, nempe 11.IV., qui post translocationem dierum Martii 29-31.III. in novum Aprilem, fit 14.IV.

Nostra Pascha una hebdomada praecedit Pascham Orientalium.

Quid faciemus, ut simul cum Orthodoxis hoc anno Pascham celebremus?

Simpliciter. Conformemur ad ipsos et quidem modo facillimo. Constituamus hoc anno « Dominicam Septuagesimae » non 7.II., uti habetur in nostro Calendario hoc anno, sed una hebdomada serius, i.e. die 14.II., diem vero Cinerum 3.III.

Solutionis nostrae effectus

A Domino, omne hoc reformationis factum, vere erit mirabile oculis nostris. Videbimus — et gaudebit cor nostrum. Expurgantes vetus fermentum, occurremus omnes Christiani invicem in amplexu Pacis, quam tribuat nobis Immortalis et Invictus Rex Pacificus. Ex tunc et usque in saecula gaudium Resurrectionis Eius in communi fide et caritate celebrabimus.

Scopus maximo conatu et sollicitudine dignus.

INDEX OBIECTORUM ANALYTICUS

- Aegyptica traditio 16
 Aequatio 9, 20; tabellae 25
 Aequinoctium vernale 12, 14, 15, 16, 17, 22, 23, 25, 27, 29
 Aëronavigatio 6
 Aestiva anni pars 21
 Albi dies 18
 Annus 9; bissextilis 15, 18, 20, 21; civilis 15; Gregorianus 9; inaequalis 5; intercalaris 20; Iulianus 9; liturgicus 6; longitudo 9; longus 14; lunaris 9; Mahumetanus 9; mutabilitas 5; naturalis 9; nominalis 9, 11, 12, 14, 16, 17, 18, 19, 21; partes 18, 21; solaris 9, 11, 12, 13, 15, 16, 17, 18, 19, 22, 23, 25, 26; tempora 7, 9; tropicus 9, 15
 Aphelium 17, 21
 Apostolica traditio 24, 26
 Aprilis mensis 15, 24, 25, 26, 29
 Astra 9
 Astronautae 9
 Astronomia 8, 9, 17, 21, 25
 Auctoritas: civilis 11; religiosa 11
 Azymorum festum 20, 24

 Babylonia: traditio 11; captivitas 20
 Baraniak Antonius, archieppus Posnanien. 14
 Basileense Concilium 23
 Bernardus s. 26
 Binarius dies 21
 Bissextilis annus 15, 18, 20, 21
 Bonum 10
 Breviarium 6

 Calendarium: canones 16, 21-23; chaos 5; compositio 21-23; continuitas 23; defectus 11, 14; definitio 8, 9, 10; discussio in O.N.U. 5, 6; diversitas 5, 13; errores 13-14; finis 10; Gregorianum 5, 6, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 18, 23, 24, 25, 28, 29; Iudaicum (hebraicum) 5, 11, 20, 25; Iulianum 5, 6, 12, 13, 14, 16, 23, 25, 28, 29; lunare 11, 12, 24, 25, 26; Mahumetanus 5, 12; mensura temporis 12; Mundiale 18; munus 10; mutabile 5, 6, 20, 24, 25; naturale 10; nominale 8, 9, 10, 18, 19, 21; novum 8, 16; Orientalium 23; perfectum 11, 16; perpetuum 5, 6, 8, 11, 15, 16; obiectum 8; principia 16-21; problema 5-7; reformatio 6, 24, 26, 28; reformationis modus 28-30; reformationis necessitas et scopus 5, 6, 11, 12, 13; Romanum 11, 20, 25; simplex 5, 6, 7, 10, 13, 14, 16, 17, 28; solare 12, 13, 21, 23, 24, 25, 26; stabile 6, 10, 13, 14, 18, 21, 26, 28; unio 28; unificatio 5; universale 6, 13, 14, 16, 28
 Catholici 22
 Christiani 6, 13, 19, 22, 28, 29, 30; Orientales 23; Pascha 26, 29; unio 5; vita 6
 Christianitas 5, 6, 12, 24, 25, 29
 Christus: mors 26; Rex 15, 21; resurrectio 25
 Cinerum dies 30
 Civilis: annus 15; auctoritas 11; forum 6, 7; vita 5, 15, 16;
 Civitas 10, 23, 28; Indiarum 28; Israel 29; Mahumetana 28
 Concilium: Basileense 14, 23; Constantiense 23; Nicaenum I 11, 12, 15, 23, 25, 26, 29; Tridentinum 23; Vaticanum II 6, 11, 24, 26
 Constantiense Concilium 23
 Constantinus Magnus 20
 Continuitas: hebdomadae 6
 Conventus Internationalis pro Calendario reformando 14
 Cultura 10, 23

- Cultus divinus 5, 6, 28
Cyclus: lunaris 16; regularis 19; solaris 16
- December mensis 15, 17, 26
Desiderius 24
Dies 9; albi 18; binarius 20, 21; Cinerum 20; Deo sacri 6, 13, 19, 20, 22; Dominicales 15; « extra » 18, 19; extrahebdomadarii 14, 19; hebdomadae 5; « intra » 18, 19; liturgici 13; mensis 5; nominalis 18, 19; nulli 13-14, 19; residui 18, 19; reduplicati 19, 20; Resurrectionis 26; septimus hebdomadae 14, 19, 22, 29; sine numero 14, 18; solaris 18; ternarius 21
Dominica 15, 17, 20, 21, 22; longa 15, 20; Paschatis 24, 25, 29; Septuagesimae 30
- Ecclesia 5, 6, 11, 18, 21, 24; forum 6; Orientis 27; Orthodoxa 29, 30; Patres 26
Ephesi: eppus Polycarpus 24; Epistola ad Ephesios 10
Episcopi Orientis 24
Evangelium 11
Exaequatio: Calendarii 18, 21, 25-26; modus 18-21; principium 20; solaris 10, 11, 16, 19
- Februarius mensis 20
Feria secunda hebd. 21, 22
Fermata (in musica) 19
Festum: Azymorum 20; Christi Regis 15, 21; mobile 25; Nativitatis Domini 15, 24; Pacis 21, 28; Paschatis 24; Terminalium 20
Fidei unitas 10
Filius Dei 10
Forum: civile 6, 7; ecclesiasticum 6
- Galli 24
Genus humanum 6, 28
Gregorianum Calendarium 5, 6, 11, 14, 18, 23, 24, 25; defectus 11-12, 13, 16
Gregorius PP. XIII 23
Harmonia: vitae 10; compositionis Calendarii 19
- Hebdomada: aequalitas 18; continitas 6, 18, 19, 29; dies 6, 22; dies primus 21-22; dies septimus 22; integritas 17, 19; intercalaris 13-14, 16; mutabilitas 12
Hemisphaera 21
Hiemalis anni pars 21
Historia 10
Horologia 9
Humanitas 5, 10, 16, 17, 23, 28
- Ianuarius mensis 15, 25
Iesus Christus 26
India 5, 28
Intercalaris: annus 20; hebdomada 13-14, 16
Iudaisantes 24
Iudaei: Calendarium 5, 11, 20, 25; Pascha 24; Sabbatum 22; Sabbatum longum 20; traditio 11, 24, 26
Iunius mensis 15, 21
Iulianum Calendarium 5, 6, 12, 13, 16, 23, 25
Iulius mensis 15, 21
Ius: historicum 11; naturale 11
Israel civitas 29
- Leviticus Liber 20
Liturgia 15; annus 6; catholica 5, 6; dies 13; orthodoxa 29
Luna 25, 26; motus 12; plena 25, 27; phases 13; vernalis 25, 26, 27
Lunare Calendarium 12, 24, 25
Lunaris cyclus 16
Mahumetani 20, 28; Calendarium 5, 12; dies longa Veneris 20; feria VI 29
- Mansi 24, 25
Mars 9
Martius mensis 15, 20, 22, 23, 25, 27, 29
Media communicationis 6
Medius dies 17
Mensis 9, 22, 25; aequalis 17, 18; Aprilis 15; December 15; inaequalis 5; Iunius 15; Iulius 15; lunaris 17; Martius 15; mutabilitas 12; Pacificus 15, 17, 20-21 28, 29; periodicus 17; synodicus 17
Metrum 18, 19

- Migne 26
Missale 6
Mobilitas festorum 25
Motus: corporum caelestium 8; realis 9
Movens 9
Mundiale Calendarium 18
Musica 10, 19
Mutabilitas: annorum 5; Calendarii 5, 6; corporis 9
Natio 5
Nativitatis Domini festum 15, 24; Octava 15
Natura 10
Nicaenum Concilium I 11, 12, 15, 23, 25, 26, 29
Nisan mensis 20, 26
Nordicae regiones 27
Novum Testamentum 24, 26
Numerus: dierum 5
O.N.U. 5, 6, 8, 14, 28; Secretariatatus Generalis 5
Occidens 23, 24, 25
Octava Nativitatis Domini 15
Orbita terrae 10, 13, 16, 17
Oriens 23, 25, 26; Calendarium 25; christianus 23; Ecclesiae 27; episcopi 24
Orientales 30
Orthodoxa ecclesia 29, 30
Pacificus: mensis 17, 20-21, 28, 29; Rex 30
Pacis festum universale 15, 21
Palaestin. Synodus 25
Pascha 5, 6, 11, 13, 15, 20, 24, 25, 26, 29, 30
Patres: Concilii Vat. II 6, 14; Ecclesiae 26
Paulus Apost. s. 24
Pentecostes 20
Perihelium 17
Polonia 14
Polycarpus eppus Ephesin. 24
Posnania 14
Pulchrum 10
Radiophonium 6
Reformatio Calendarii: modus 15; scopus 12-13
Regula annorum longorum 14
Religiones 6, 15, 18, 19, 20, 28; iudaeica 14, 20; mahumetica 14, 20
Religiosa auctoritas 11; vita 6, 15, 16
Renovatio accomodata 11, 13
Residui dies 18, 19
Resurrectio Christi 25, 26, 29, 30
Rex Pacificus 30
Rhythmus 10, 11 temporis 19
Roma: Calendarium 20; traditio 11
Romani 20
Sabbatum 20, 22, 29; longum 20; magnum 20
Scriptura Sacra 20
Secretariatatus Generalis O.N.U. 5
Sedes Apostolica 26
Septentrionalis: hemisphaera 21; regio 26
Septimus hebdomadae dies 22
Septuagesimae Dominica 30
Sinensis traditio 16
Societas civilis 22
Sol 21, 25; motus 8, 9, 10, 12, 17
Solaris: annus 16; cyclus 16; spatia 21
Solstitium 9, 14
Spatia solaria 21
Status 5
Synodus Palaestin. 25
Tabellae: aequationis 25; calendarii 29
Talmud 20
Telephonium 6
Televisio 6
Tempus: computatio 8, 11; continuitas 19; definitio 9; externum 9; internum 9; mensura 19; naturale 9; ordo 9; reale 9; rhythmus 10, 11, 19; structura 9; terrae 10
Terminalium festum 20
Ternarius dies 21
Terra 6, 10, 12; motus 8, 9, 10, 12, 17, 19, 21; orbita 10, 13, 16, 17, 22, 23; tempus 23
Testamentum: Novum 24, 26; Vetus 24, 26
Tridentinum Concilium 23
Typographia 6

Unio: christianorum 5, 25; cultus
divini 6; totius orbis 6
Universalismus 6
Vaticanum Concilium II 6, 11, 14,
24, 26
Verum 10
Vetus Testamentum 24, 26
Victor PP. I s. 24
Vita: christiana 6; civilis 5, 11, 15,
16; ecclesiastica 5; religiosa 6, 11;
socialis 5
World Calendar 14